

1. *Nexus.*

EX proximo capite quid *Pashur Immeri* filius fecerit; quid item *Jeremias* ei indixerit, accepimus; Ex hoc capite quid alius quidam *Pashur* cum collega suo ex *Propheta* quaesierit, & quod Ipse responsionem ejusdem argumenti cum praecedentis capitis concione reddiderit, cognoscemus.

2. *Argumentum Capitis.*

Jeremias à *Zedekia* Rege per legatos quaesitus de *Eventu belli Babylonici*, pronunciat iterum *Hierosolymitanis* excidium, Regique ac subditis suggerit consilium, subjecta exhortatione ad administrandam justitiam.

3. *Partitio capitis.*

Duae sunt capitis partes: In (1) proponitur *Zedekiae Regis* quaestio usq; ad vs. 3. In (2) exponitur *Prophetae* ad quaestionem propositam *responsio*, inde usq; ad finem capitis.

Est proinde caput istud συζητητικὸν ex συζητήσῃ & ἀποκρίσῃ constans.

4. *Uusus.*

Commendatur exemplo *Prophetae* Ministris *Ecclesiae* τὴν παρρησίαν apud eos, qui in sublimitate constituti: τὴν fidelitas & studium salutaribus consiliis irruentes *Ecclesiae* calamitates avertendi.

Explicatio 1. partis.

De *Quaestione Zedechiae*, Regis *Juda* ultimi 2. Reg. 24, & 25. & 2. Chron. ult. c. duo commemorantur, unum *Legati*, alterum *Legationis* argumentum. *Legatorum* fuerunt duo, (1) *Pashur*, non *Immeri* filius, ut ille alter capite praecedenti; sed *Malchiae* ex quinta *Sacerdotum* sorte 1. Chron. 24, 9. (2) *Zephania*, non *Propheta*, quippe qui filius *Chusi*, sed *Maasiae* *Sacerdotis* ex 24. sorte 1. Chron. 24, 17.

Argumentum *Legationis* est duplex: Mittuntur enim ut (1) quaerant de *Eventu belli*, quod *Nebucadnezar* regno jam inferat. (2) ut petant, quò precibus suis apud *DEum* impetret *Propheta* miraculosam liberationem, qualis illa tempore *Hiskiae* 2. Reg. 19, 31.

Obiter

y. 1.

y. 2.